

lum non esse de fide, quia neque est ab Ecclesia definita, nec est testimonium Scripturae, aut sufficiens traditio, quae insalubilem faciat fidem: tamen summa temeritatis reus crederetur, qui tam piam, religiosamque sententiam impugnaret.

Ego vero, qui Assumptionem negaret, non eum modo temeritatis, quod haberet contempcionem superbam Ecclesiasticae regulae, sed etiam gravissimi erroris insimularem. Est enim veritas doctrinae Catholicae, in regula morum Christianis tradenda Ecclesiam falli non posse; palamque est, ab Ecclesia juberi Christianos, ut Mariae Assumptionem publice colant. Ex quibus efficitur, Assumptionem Deiparae veritatem esse doctrinae Catholicae; cui proinde erroneum sit repugnare. Nec id solum, sed, quod verissime scripsit Cardinalis Gottus, quem Ecclesia Romana clarissimum lumen jure possumus appellare, addendum est (a), negantem Beatam Virginem fuisse ad caelos cum corpore assumptam, fore vehementer suspectum de haeresi, non quia praecise communi credulitati se se opponeret, sed quia praesumeretur hoc ex judicio erroneo procedere, nimirum quod Ecclesia universalis proponeret B. Virginem sub titulo falso colendam. Quod multo magis valere debet in eo, qui Deiparae immunitatem in Conceptione negaret. Hunc enim titulum Ecclesia Catholica non modo proposuit, verum etiam in Alexandri diplomate enucleate explicavit, & quodnam obiectum eo titulo designetur, verbis luce clarioribus indicavit. Ad Assumptionem jam redeo. De veterum Patrum dubitatione nihil esse curandum ille ipse monet, quem modo citavi, doctissimus auctor his verbis (b): Respondeo quoad Patres: quod aliqui eorum de corporea Assumptione Beatae Virginis in calam ambiguae senserint, nihil me movet. Nam de aliis etiam prioribus saeculis dubitatum fuit inter Patres, nondum eliquata veritate, de quibus postea omnis dubietas sublata fuit. De beatitudine animarum justorum, an

hanc

(a) In Veritate Religionis Catholicae tom. 4. cap. 41.

(b) Num. 18.